SPIRITUALIS
NECNON
Divina Salutatio,
IN QUA
Omnes qui profitentur
CHRISTIANITATEM,

Cordibus nimirum contriti, Regnum Cœleſte, Juſtitiamq ue ejus quærentes, ut haſce quæ ſequuntur Sectiunculas in timore Dei, quo videlicet emiſſæ ſunt, perlegant; invitantur. Quibus, ut & omni humano Generi, ſicut in hoc Sœculo fœlicitatem, ita in futuro ſalutem æternam exoptat & apprecatur

---

GEORGIUS FOX.

LONDINI,
Impenſis *Thomæ Northcott*, in Area Georgina, in Vico vulgo vocato *Lumbard ſtreet*, 1690.

260

Salutatio, &c.

OMmibus Mundi Chriſtiani corde contritis Incolis, quorum facies Hieroſolymam Cœleſtem verſus, ſunt verſæ, animique introverſi Spiritu Divino ad Chriſtum, qui nova & viva via eſt, qui & ſolus inter Deum & Genus humanum Conciliator exiſtit, attrahuntur: Omnibus in Mundum venientibus, Cœleſti & Divina luce & vita in Chriſto, qui λόγος eſt, Colluſtratis; per quem omnia facta ſunt & condita Chriſtus dicit. Credite in lucem ut lucis Filii Fatiis. Chriſtus enim Origine Divinus ex Mundo non eſt, nobis Lucem in quam credamus, gratificatus eſt; ut lucem vitæ obtinentes in ea ambulemus: Qui luci fidem habet lucis Filius, & ex Deo natus eſt; Mundo devicto ex morte Authore *Adamo* illata, tranſit, inque Chriſtum ſecundum *Adamum* & vitæ Authorem inſitus eſt; Atque adeo omnes lucis Filioli in luce ambulantes cum Patre, Filio, & ſeinvicem communitatem habent; vivique Lapides ſeu viva vivi capitis membra evadunt.

Omnes vero Chriſtiani lucem hanc ſibi a Chriſto conceſſam negligentes, hac Divina & Cœleſti communione non utuntur: Oraculum hoc de Chriſto, comprobando comprobatum nos teſtamur: Dabo inquit Deus illum in fœdus & lucem qui ſalus mea ad extremos uſque Orbis Terrarum fines futurus eſt. Hinc patet, eos qui ſalutis compotes eſſe velint fœdus cum Deo ineuntes ad lucem Chriſti perventuros neceſſe habere; quæ lucem notitiæ gloriæ Dei in facie Jeſu Chriſti præbet; quæ quidem lux Theſaurus Cœleſtis, in cordibus, vaſis terrenis lucet. Si Mundi Chriſtiani Incolæ fidem luci huic & vitæ a Chriſto donatæ

41-

habuiſſent, (in quam ut credant homines admonet Chriſtus) tunc omnes lucis filii, Dei, Chriſti fuiſſent in unitate & concordia lucis, vitam agentes, nec tot fidei formulas quæ tantæ cædis cauſa fuere, condidiſſent; ſi itaque omnes Chriſtiani, Chriſti Doctrinam Eccleſiæ ſuæ demandatam obſervandam curaſſent, qui præmonuit Jeſum fidei illorum Authorem & perfectorem eſſe conſulendum. Tunc (ut dictum eſt) non tot fides quorum cauſa ad necem ſeinvicem inſectati ſunt, promulgari operam tam ſedulo novaſſent; nemo enim mortalium Divinam & fidem Catholicam condere valet: Hoc demum dico; Chriſtum nempe Fidei noſtræ, Sanctæ Divinæ præſtantis Catholicæ ſeu univerſalis Authorem & Perfectorem eſſe, quam unus ille Sacroſanctus de fide in fidem nobis retigit: Hujus fidei Sanctæ Myſterium in pura conſcientia, non autem impura conſervatur: Cordibus illius opera emundatis victoriam in id quod Deo inviſum eſt, quod & Deum nobis alienum reddit, affert; qua fide ſancta divinitus donata Deo grati ſumus; Hinc nobis victoria in id quod Deo ingratos & alienos nos efficit, cedit; In hac Sancta & Divina fide vera ſita eſt unitas, Chriſtoque hujus Authori & Perfectori affertur honos: Nobis autem lucem, in ſeipſo vitam, qui & noſtræ fidei Author habetur, donat.

Quam glorioſam ſortitus eſſet Orbis Chriſtianus conditionem, ſi modo Doctrinam Chriſti & Apoſtolorum Eccleſiis propoſitam non declinaſſet; quæ ſic ſe habet: Illuxit gratia illa Dei ſalutifera omnibus hominibus, Erudiens nos (Chriſtianos nempe) ut abnegata impietate & mundanis cupiditatibus, ſobrie, juſte, & pie vivamus in præſenti ſæculo: Fœlices utique fuiſſent Chriſtiani ſi jam inde ab Apoſtolorum ſæculo huic Gratiæ jure optimo Inſtitutrici, ſeſe regendos dedidiſſent. Hinc enim ſalutis Compotes facti, Deum propitium habuiſſent ſi ad hunc modum ab omnibus factitatum fuiſſet non tot auribus prurientes forent, tot literarum ludos collegiaque inſtituenda curantes, unde Doctores prodirent, quorum opera Orbis Chriſtianus in antiquum Babelis ſtatum, Confuſionem nimirum (ſibi invicem pugnaciter contradicentes) eſt redactus.

Dicet forſan aliquis, num hæc Gratia undequaque ſufficiat? Chriſtus, Paulo Ærumnis atque periculis circundato ſufficere affirmavit, nec millies Mille deerunt teſtes qui ſuffragiis ſuis Dei

Gratiam

Gratiam ſufficere comprobabunt, quæ, quid ſit vitandum, quomodo vita ſit inſtituenda, & quod ſit ſalutifera, doceat: Sicut enim Lex per *Moſem* data eſt, ſecundum quam Judæi vitam acturi erant, Gratia & Veritas per Jeſum ſub novo fœdere extitit: Gratia hæc & Veritas Cordibus ſanctorum Dei inſita eſt, ſub Gratia degentium qui Gratiæ fœdere ſunt concluſi: Chriſtus Gratia Dei mortem pro ſingulis guſtavit, ut omnes ex morte per *Adamum* invecta reſurgant: & vita in ipſo per lucem, gratiam, veritatem & fidem, quam ipſe operatur, fruantur; Prophetia apud *Joelem* extat, nempe Deum velle omne hominum Genus ſuo ſpiritu perfundere, quam comprobatam, *Act.* 2. Apoſtoli Judæis commonſtrarunt: Quid vero nunc rei eſt, quod filii, filiæ, ſervi & Ancillæ, & quod denique ſenes Prophetias Divinas, viſiones & ſomnia non obtineant? Annon ideo fit, quod Spiritum Dei poſtpabitum triſtitia affecerint atque extinxerint, Judæorum inſtar, quibus Deus bonum ſuum Spiritum, cui obnixe reſtiterunt, largitus eſt? Annon ideo ſibi mutuo ruinam molientibus & unitate derelicta Chriſtianis exorta eſt confuſio? Ut autem hæc unitas & ſocietas Spiritualis omnibus Chriſtianis, atque adeo omnibus totius Terrarum Orbis Populis recuperetur, neceſſe eſt ut ſpiritus Inſtitutioni ſeſe ſubjici patiantur, quem effudit illis Deus. Cujus Spiritus opera eorum præputia ſunt circumcidenda; & peccati Corpus quod Mors ante ignota, ipſis invexerat, ſuccidendum.

Nec ſpiritus Baptizatio quæ peccatum diluit eſt negligenda, hujus enim operatione omnes in unum Corpus Baptizantur, omneſque unum ſpiritum imbibunt: Divinus hic ſpiritus omnes in ſocietatem & unitatem quæ ſpiritualis eſt, conſtringit: Spiritus Dei Pacis vinculum vere dicitur, abſque illius ductu nemo proficit; Nunc, ut diebus Apoſtolorum Divinas Prophetias, viſiones & ſomnia ſanctis Dei hominibus aperit: Chriſtus ante 1600 Annos Cultum ſpiritualem ſpiritu & veritate præſtandum Judæorum Cultu Hieroſolymis, ut & Samaritanorum ad fontem Jacobi improbato, inſtituit, Dicens adventat tempus & nunc eſt, cum veri Cultores Patrem animo & vere colent. Etenim Pater a talibus ſe coli poſtulat; neceſſe ergo habent omnes ut ad ſpiritum Dei & ipſius veritatem intus in Corde patefactam, perveniant. Qua veritate & ſpiritu intus in Corde locata cognoſcendus Deus

eſt,

eſt, eſſe ſpiritus Immenſus; veritate enim ſua & Spiritu Deus veritatis eſt colendus & adorandus.

Si omnes Chriſtiani veritatis & ſpiritus interni ductum ſecuti fuiſſent, utique Cultum a Chriſti Domino Cœleſti inſtitutum retinuiſſent, nullus enim ab alio quovis præſtantior inſtitui poteſt, unde, tot Adorandi Numinis genera eſſent mundo inaudita & prorſus incognita, & mutuis vulneribus illius gratia temperaſſent; omnis vero orbisterrarum populus ad ſpiritum Dei & veritatem Cordibus implantatam, ſi Deum & Creatorem rite colere velint, eſt revocandus: Deus enim Populum ſuum per Filium Docturus eſt ipſe Apoſtolus teſtatur Deum multipliciter & multifariam olim Majores per Vates allocutum, poſtremis hiſce temporibus allocutum eſſe nos per filium, qui & Serpentis caput comminuit, qui omnium Pſeudologorum, Religionum mendoſarum, Conventuum ſubdolorum, omniumque id genus Cultuum Caput ſe effecit, Deus nunc Populum ſuum filii Miniſterio alloquitur ipſe, qui *Adamum* in Paradiſo allocutus eſt; *Adamus* vero Dei Inſtitutione neglecta & Serpentis compobata, felicitatem ſuam amiſit, quam & *Judæi* ſimul atque Chriſtiani eorum veſtigiis inſiſtentes, perdiderunt: Omnes itaque per ſpiritum, Lucem, Gratiam & Veritatem ſecundum Jeſum, ad Chriſtum Jeſum Prophetam illuſtrem Paſtorem, Epiſcopum, Doctorem & Conſiliarium, ut Deum ſibiipſis per Filium loquentem audiant, ſunt revocandi.

Qui Filium habet, vita fruitur, qui vero Filium non habet, vitæ expers eſt, licet omnium Scripturarum ſe cultorem religioſum profiteatur: Nec poteſt eſſe ulli, Filii copia, niſi Lucis, Gratiæ, & Veritatis a ſe manantis intuſque receptæ opera.

Cur non ſunt omnes Chriſtiani qui Chriſtum profitentur filii & filiæ Dei? Annon inde fit, quod Chriſtum in ſua Gratia, & Veritate ab ipſo proveniente in Corda ſua intromittere non Dignantur? *Adamus* & *Eva* fructu vetito, prohibente Deo, manducato mortem ſibi & Poſteris ſuperinduxerunt; Chriſtus vero *Adamus* ſecundus ſe Panem de cœlo miſſum profeſſus eſt, & niſi hunc panem de cœlo miſſum, quem ipſe daturus eſt, comederint, non eſſe vita fruituros: Ex edendo igitur devenit mors, ex edendo itidem, non loquendo, introducta eſt vita; hunc panem nunc de cœlo largitur Chriſtus; eſt enim rupes & fundamentum cœleſte; Chriſtus idem hodie qui heri & in ſecula ſeculorum futurus eſt;

qui

qui mortuus revixit, & in omnes omnium ætates vivet in populum ſuum, hoc ſæculo novi fœderis Evangelico, lege Divina hominum Cordibus inſcripta facile principatum obtinet Chriſtus. Omnibus a Maximis ad minimos Chriſti notitia repletis non opus erit ut quiſquam fratri dicat Deum Cognoſce: Oraculum hoc comprobatum teſtantur hominum millia, ita ut Amoris, fidei & vitæ Lex Cordibus & animis a Deo Scripta perlegi queat: Hi demum ſunt Hyeroſolymorum liberi, quæ mater omnium conſtituitur, nec ullam aliam præter Hyeroſolymam ſuperne deſcendentem agnoſcunt matrem, ſicut a Chriſtianis primævis factitatum erat: Hi ſunt qui Eccleſiam Primogenitorum cœlo receptam Sole amictam, Lunam pedibus ſuppoſitam conſtituunt, cœtus cultuum leves, & Religionum rationes humanæ ad modum Lunæ variantur; illa enim varias patitur mutationes, Sole vero Juſtitiæ immutabilis exiſtente qui ſua membra viva conveſtit, & ſuæ domui ſacerdotio Regali, præeſt ad Sacrificia divina, non vero carnalia facienda Deo per Jeſum Chriſtum accepta.

Miſſis Diſcipulis Chriſtus ad Evangelium omni Creaturæ ſub cœlo prædicandum non mandavit, ut ſub vinculorum, ſuſpendii, Corporum igne cremandorum, aut bonorum abripiendorum pœna id prædicarent, Tempus nunc admonet ut omnes Chriſtiani Chriſtianiſmum confitentes gladio materiali Religionis cauſa Recondito, Chriſti præceptis animo obtemperent, qui hominum animas non perditum, ſed ſervatum venit, utque Deum Chriſtum & ſeinvicem amore proſequantur, Æquum eſt & utile. Amor enim & Charitas omnibus aliis mediis merito anteponitur, nec injuria præ Cymbalis & Æramentis ſonantibus in pretio habetur: Nam qui in amore habitat, in Deo habitat.

POSTSCRIPTUM.

Quemadmodum Typi, figuræ, umbræ & de Chriſto, Corpore veſtiendo promiſſa, ab ipſo in carne comprobata fuere, ita & promiſſa prophetiæque de Chriſto Spiritualiter venturo, ipſius Spiritus opera adimpleta ſunt: Vos vero Doctores qui ſeqmmate petitis, & motiones Spirituales riſui habetis

habetis, ſcitote, vos Scripturas quas nunc dierum cauponamini, nunquam obtinuiſſe, niſi Sancti Dei homines eas prout Spiritu Divino acti fuere, elocuti fuiſſent. Hinc liquido patet, vos a Spiritu Dei, quo olim acti fuere Apoſtoli, illiuſque communitate a Patre & Filio promanante, turpiter deſciviſſe.

Apoſtolus Eccleſiam Chriſti, ad hunc modum admonitam voluit, dicens, ut eum illiuſque Reſurrectionis vim & ſuppliciorum communitatem cognoſcam, dum ad ejus mortem conformor, *Phil.* 3. 10. Hæc eſt vera Chriſti notitia, ſinceraque conformitas: Qui enim vitam Chriſto ſuperne deſcendentem, non autem ex mundo exiſtente dignam agunt, hujus ſæculi moribus maxime adverſantur.

Ad vos quod attinet qui Chriſti nomine appellamini, ſcitote quemvis illius nomen invocantem, iniquitatem abhorrere oportere, 2 *Tim.* 2 19. Si quis Spiritum Chriſti non habet, illius non eſt, *Rom.* 8 9. Apoſtolus etiam Eccleſiæ Chriſtanæ ad hunc modum verba facit, neminem, niſi Divino Spiritu afflatum, Jeſum Dominum nuncupare poſſe, 1 *Cor.* 12. 3. Spiritus enim Sanctus a Patre & Filio procedit, *Joan.* 15. 26. Apoſtolus quoque Corinthiis notum facit, dicens, voſipſos tentate an fitis in fide, voſipſos explorate, annon agnoſcitis voſmetipſos, videlicet Jeſum Chriſtum in vobis eſſe niſi rejectanei eſtis, 2 *Cor.* 13. 5. Ab eodem Apoſtolo Romanis quoque prædicatum eſt, Prope te verbum eſt, in ore tuo & in corde, hoc eſt verbum illud Fidei quod nos prædicamus, *Rom.* 10. 8. Apoſtolus dicit Myſterium illud quod abſconditum fuit a ſæculis & ætatibus nunc manifeſtum factum eſſe Sanctis ejus, quibus voluit Deus notum facere quæ ſint illæ Divitiæ Glorioſi illius Myſterii inter Gentes, qui eſt Chriſtus in vobis ſpes illa Gloriæ, quem nos annunciamus, admonentes quoſvis, & quoſvis erudientes omni ſapientia, ut quoſvis ſiſtamus perfectos in Chriſto Jeſu, *Col.* 1. 26, 27, 28. Haſce nunc demum Scripturas ante memoratas vos qui voſmet Chriſtianos prædicatis, perpendite & cognoſcite vos non eſſe Chriſti, niſi illus Spiritum habueritis cujus opera Jeſum Dominum appellare valetis. An ſit Chriſtus in vobis? Et an verbum fidei ſit in cordibus & ore cui obeditis & quod prefatis? Occulto in corde homini ut eſt veritati intimis animi receſſibus poſitæ quæ apud Dominum in magno pretio habetur

amabo

amabo oſcultate: Salemque quo cuncta quæ ſapiunt dignoſcatis in vobiſmet retinete; nec minus Oleum in lampadibus veſtris ſemper habete, ut fatuis virginibus abſimiles ſitis: Talenta vobis concredita occupantes Pigri ſervi cenſuram evitabitis; declaratio enim Spiritus Dei unicuique ad proficiendum datur: Nec ſitis locutores, aut verbi Dei tantum auditores, verum illius voluntatis Executores ne veſtras ſeducatis animas ſemper voſmet perhibete: Religioſus enim cultus & incontaminatus apud Deum & Patrem hic eſt, inviſere Orphanos & Viduas in afflictione ipſorum & immaculatum ſeſe conſervare a mundo: Omnes qui Chriſtianam profeſſionem profitentur hunc cultum Religioſum a mundi maculis immunes reddentem colere oportet; hæc enim Religio omnibus mundi Religionibus maculoſis preſtantior, ſuum cultorem mitem, tenerumque efficit; in quem ſtatum, ut omnes dicti Chriſtiani tandem perveniant, Deum omnipotentem obnixe rogatum habeo.

Apoſtolus Chriſtianis veris pronunciavit, vos eſtis Templum Dei viventis, ſicut dixit Deus, habitabo in eis & inambulabo, & ero illorum Deus & ipſi erunt mihi Populus. An ignoratis Corpus veſtrum eſſe templum Spiritus Sancti qui eſt in vobis, quem habetis a Deo, 1 *Cor.* 6. 19. & 2 *Cor.* 6. 16. Chriſtianitatis Profeſſores ubivis gentium hanc notitiam ſibi ratam debent habere, quod nimirum Corpora eorum ſint templa Dei viventis: In vetere teſtamento *Judei* externum teplum habebant, *Stephanus* vero in novo ait, Excelſiſſimus ille in manufactis templis non habitat, *Act.* 7. 46. Sicut ante dictum, Deus dixit, habitabo in eis & inambulabo, & ero ipſis Deus, & illi erunt mihi Populus, Corpora enim veſtra ſunt templa Dei viventis, & Spiritus Sancti. Hanc itaque notitiam Chriſtiani ſibi fide familiarem reddere debent, *Paulus* ad hunc modum loquitur, An ignoratis vos eſſe Templum Dei, & Spiritum Dei in vobis habitare? ſiquis Templum Dei violat, hunc perdet Deus, nam Templum Dei Sanctum eſt, quod eſtis vos, 1 *Cor.* 3. 16. 17. Omnes itaque qui Chriſtianitatem profitentur inhabitantem in ſe Dei Spiritum ſimulque ipſorum Corpora eſſe Dei viventis templa vere cognoſcere debent quæ ne polluantur ſomma cura eſt adhibenda: Ne Dei manu pereant qui Sanctus eſt, qui & ſanctitatem ab omnibus ſuis expectat. Chriſtus Phariſæis ſummis veteris Teſtamenti Cultoribus dixit, regnum Dei non venire ut obſervari poſſet, neque dicent,

ecce hic aut ecce illic, ecce enim regnum Dei intus habetis, *Luc.* 17. 20, 21. Hinc discite, vosmet Explorate an Regnum Dei intus in vobis sitis experti: Christi sententia est, Regnum Cœlorum simile esse fermento, quod acceptum mulier, indidit in farinæ sata tria usquequo fermentaretur tota, estque simile Regnum Cœlorum grano sinapis quod acceptum quispiam sevit in agro suo: Hoc igitur pacto, vos qui Christiani appellamini vosmet tentate, num Regnum hoc Margaritam pretiosam in agro vestro abditam offenderitis. Agite candela accensa, versaque domo, thesaurus hic vasis vestris terrenis indubitanter a vobis est inveniendus qui eum extra vos hactenus quæsivistis. Inde fiet ut fermentum Regni ad animas corda & mentes in Massam Cœlestem fermentandum cognoscatis, ut est apud *Matt.* 13. & *Luc.* 15. Apostoli quoque sententia est, neminem nisi Spiritum Dei, quæ Dei sunt percipere posse: Nos vero non Spiritum Mundi accepimus, sed Spiritum qui est ex Deo, ut sciamus quæ Deus nobis gratificatus est, 1 *Cor.* 2. 11. 12.

Si modo Christiani Deum, Christum, & quæ Deus ipsis gratis absque mercede aut pretio largitur, rite cognoscere velint, Spiritum Dei in semetipsis operantem, testari necesse habent. Jeschaias proclamat, Heus, quis vis sitit, venite ad aquas istas, & vos quibus nulla est Pecunia, venite, comparate absque Pecunia & absque Pretio, Vinum & Lac: Cur expenditis pecuniam pro nullo cibo, & laborem vestrum pro re minime satiatura? Auscultate indesinenter mihi & comedite bonum, atque oblectet se hac pinguedine anima vestra; inclinate aurem vestram, & venite ad me, audite ut vivat anima vestra, *Jesch.* 45. 22. Deus enim Spiritum suum in omnem carnem effudit, ut per eum, Dominum respiciant, salutemque suam adipiscantur. Deus item dicit Omnes Terræ fines Salutem intuebuntur Dei, quod futurum est per Spiritum, nam Deus Spiritus est: Inquit Dominus, Justitia mea in sæculum erit & salus mea in omnes Generationes, *Jesch.* 51. 8. Proclamat Deus per *Jeschaiam*, fortitudinem Populi sui in hoc esse, ut maneant, nempe in Spiritu & Potentia Dei, *Jesch.* 30. 7. Huc pertinet & illud expectantes Jehovam, mutant vires, ascendunt pennis velut aquilæ, currunt neque defatigantur, pergunt neque defetiscuntur; In hoc situm est Solamen expectantium Jehovam, quorum fortitudo in consistendo sive manendo ponitur, nam hoc pacto Dominum salutem ipsorum intuebuntur; omnes Filii tui edocti erunt a Jehovah, amplaque erit pax Filiorum tuorum,

rum, in Juſtiſtia ſtabilientur, *Jeſch.* 54. 13. Multa item arma in Filios Dei confiſta non proſperabuntur, omneſque linguas in judicium adverſus ipſos inſurgentes qui a Domino edocti erunt, condemnabunt: Nos qui a Domino edocti ſumus (quæ eſt ſua erga nos Clementia) arma multa linguaſque varias adverſum nos in judicium inſurgentes Dominum compreſſiſſe teſtamur: Deus enim ſuos ad linguas fallaces judiciaque mendacia confutandum potentia imbuit Filiolos.

De ratione Canendi & Precandi.

Pauli Apoſtoli ſententia de ratione Canendi & Precandi hæc fuit, Orabo Spiritu, ſed orabo etiam intelligentia, pſallam Spiritu, ſed pſallam etiam intelligentia: Judæ Apoſtoli ad Eccleſiam Chriſti adhortatio fuit, ut Spiritu Sancto orarent, *Jud.* 20. 1 *Cor.* 14. 15. Libros vero unde oretur nulli commendabat Apoſtolus, Spiritu orare & intelligentia, librorum uſum nullo modo implicare videtur: Apoſtolus dicit, Spiritus ſublevat infirmitates noſtras, quid enim oremus ut oportet non novimus, ſed ipſe Spiritus intercedit pro nobis ſuſpiriis inenarrabilibus; qui vero ſcrutatur corda, novit quid ſapiat Spiritus, quia ſecundum Deum intercedit pro ſanctis, *Rom.* 8. 26, 27.

Ut omnes Spiritum Sanctum in cordibus, quo pro ſeipſis & omnibus aliis Deum rite orent, percipiant, & Dominum ſummis proſequantur laudibus pro omni ſua erga ſe bonitate, quæ in ſæcula eſt, exoptat mihi animus ſincerus.

Apoſtolus, dixit Deus, arcana ſua nobis per Spiritum retexit, Spiritus enim omnia ſcrutatur, etiam profunditates Dei, 1 *Cor.* 2. 10. Ab eodem quoque Apoſtolo dictum eſt: Juſtitia Dei per illud revelatur ex fide in fidem, *Rom.* 1. 17. Huc pertinet & illud: Notum vobis facio fratres, Evangelium quod eſt a me Evangelizatum, non eſſe ſecundum hominem, neque enim ego ab homine id accepi, neque edoctus ſum, ſed per revelationem Jeſu Chriſti, *Gal.* 1. 11, 12. Quod hinc quærendum venit eſt hoc: Num quis Juſtitiam Dei, fidem Chriſti, Profunditates Dei, & Evangelium Chriſti, niſi Spiritu Dei, hæc ſibi ut olim, diebus nempe Apoſtolorum retegantur, prædicare rite valeat? Apoſtolus dixit: Quando vero libuit Deo qui ſeparavit me ab utero Matris meæ, & vocavit per gratiam ſuam, revelare Filium ſuum,

in me ut Evangelizarem ipſum in Gentes, *Gal.* 1. 15, 16. Chriſtus ſimiliter dicit, nemo novit Filium niſi Pater, neque Patrem quiſquam novit niſi Filius, & cuicunque voluerit Filius ipſum retegere, *Matt.* 11. 27. An igitur quiſquam verus Filii aut Patris Miniſter aut Præco eſſe poteſt abſque Revelatione Divina? nam Chriſtus aperte aſſerit, neminem Patrem aut Filium niſi Spiritu revelante dignoſcere poſſe: Hinc ſequitur, neminem nec Deum nec Chriſtum abſque Spiritus Divini revelatione Patrem & Filium retegente prædicare poſſe, quam quidem revelationem hominum millia ſibi patefactam ad Dei perpetuum honorem teſtantur; qui & gratis Patrem Prædicant, qui in luce illius ſicut ipſe eſt in luce ambulant, communitatem cum Patre & Filio & ſeinvicem mutuam obtinentes, ob quam Gratiæ immortales Deo in ſæcula ſæculorum hoc nomine debentur & exhibentur.

Teſtimonium Scripturis conſonum, Perſecutioni vero Religionis cauſa maxime contrarium. Sive conſilium de abrogandis legibus Conſcientiam teneram Dei, Prærogativam, conſtringentibus Chriſtianis propoſitum & oblatum.

HAMANUS Judæos ſtirpitus evellere cupiens, eo quod Cultus eorum Religioſus *Aha ſuero* Regi contrarius eſſe videretur, ipſe de medio fuit ſublatus, hac pronunciata Sententia Regi in rem non eſſe ut viverent: Regi vero aliter viſum erat, qui ipſis vitam permiſit quod in rem ſuam cedere liquido cerneret.

Chriſtus

Christus increpatis de Cœlo ignem advocantibus ad illos perdendos qui Christum accipere nolebant, dixit, nescitis cujusnam Spiritus estis: An igitur Spiritum suum percipiebant qui jam inde ab Apostolorum diebus necandis hominibus Religionis causa incumbebant, qui non solum ignem de Cœlo ad alios perimendos sunt comprecati, verum etiam rogos in Terris construendos ob id ipsum curarunt. Annon qui talia perpetrant majore increpatione sunt digni utpote animis magis cœci quam qui ignem de Cœlo advocabant ad illos cremandos qui Christum recipere nolebant? Legimus Christum flagello e funiculis facto Emptores & Venditores ex Templo Dei ejeciſſe, nunquam vero ad intrandum adegiſſe: Christus quoque dixit simile Zizania & triticum una crescere usque ad messem, qui finis Mundi est, ne triticum eradicetur, & in fine Mundi Christus Angelos suos, Messores emittet, annon Angeli Spiritus sunt & non homines? Christus Petrum, Gladium in vaginam recondere jussit, addens, omnes qui Gladio usi fuerint, Gladio peribunt.

An vero postea Petrus aut Apostolorum quisquam, stricto Gladio Carnali aut armis Carnalibus, quibus Ecclesiam Christi, Cultum religiosum aut fidem defenderent, usi sunt? Contra vero Petrus Christi jussu gladium recondidit & Christus auriculam servi Pontificis amputatam sanavit, quod Evangelium salutare aperte designabat. Apostoli dicebant, Arma nostræ militiæ non sunt carnalia, sed spiritualia, & quod nec adversus carnem nec sanguinem luctemur. Annon omnes Christiani (nomine tenus) ab Apostolorum diebus Ecclesias, Cultuum rationes, armis Carnalibus utentes, adversus Carnem & Sanguinem colluctati sunt? Annon arma militiaque eorum Carnalia, non vero spiritualia, cujusmodi arma Apostolorum, Ecclesiæque Christi Primævæ, fuere? Qui igitur gladium quo Cultuum rationes fideique formulas defendant, eduxerint, non eodem quo Apostoli spiritu præditi fuerunt, Apollyonis vero spiritum sapiebant.

Annon qui hanc Scripturam producebant ad Persecutionem religionis causa protegendam eadem abusi sunt, quæ sic se habet, omnis anima Potestatibus supereminentibus subjecta esto; proinde subjecti estote cuivis humanæ ordinationi propter Dominum ad ultionem facinorosorum destinatæ, hos etiam facinorosos nominat nempe Homicidas, Patricidas, Matricidas, Perfidiosos, &c. non tamen dicit, omnis anima Potestatibus supereminentibus,

nentibus, & cuivis humanæ ordinationi ſubjecta eſto, ut inde occaſio arripiatur homines Religionis cauſa morte mulctandi, quod hujus vel illius Cœtus religioſi communitate non utantur. Si enim Apoſtolus ita ſenſiſſet: Cur ipſe Judæorum Cæſariſque Romani Imperatoris Religioni, ut & Dianæ Epheſinæ ſemet non ſubmiſit? Apoſtolus Eccleſiæ Chriſti dicit diſerte non eſſe tangendas aut guſtandas Doctrinas, præſcripta & ordinationes humanas; tantum abfuerunt Chriſtiani ut ſeſe iis aut Ethnicis ſubjicerent, cum in mandatis haberent talia non eſſe tangenda aut guſtanda, quæ omnia ipſo uſu ſunt corrumpenda: Legimus in Apocalipſi Johannis Beſtiam Draconis Potentia ſtipatam fuiſſe, qui omnibus in unum a ſummo ad infimum vi compulſis Ipſum, ipſiuſque imaginem receptam, ſuam & Religionem colere adegit, Beſtiam vere ibidem in lacum igne ardentem detruſam fuiſſe, non minus obſervare licet.

Johannes ibidem teſtatur ſanguinem Prophetarum, & Jeſu martyrum inventum fuiſſe in Babylone Myſterio, Scortationum Eccleſiæque Adulterinæ Matre ſanctorum Sanguine, & Martyrum Jeſu inebriata, incolas Terræ ſuæ ſcortationis vino infatuante, ebrios fuiſſe; unde tanta in ſanctos rabies Martyreſque Jeſu promanavit, quem vero exitum ſortita ſit Meretrix illa ab eodem Johanne literis proditum eſt.

Durantibus decem Perſecutionibus, legimus quantum Chriſtianis excidium ab Ethnicis Regibus & Imperatoribus ſit illatum, eo quod religioſo eorum cultui ſeſe adjungere aut conformes eſſe negarent. Annon plurimi intereſt Chriſtianorum, ut ſepoſitis armis Carnalibus, Gladiiſque materialibus in vaginas reconditis quibus Cultus religioſi ab interitu, ſed fruſtra hactenus, vindicarunt, & armis ſpiritualibus quibus Apoſtoli uſi ſunt, uti? nec eſſe immemores Veteris Caini in Exemplum propoſiti, qui errabundus factus, fide vera poſthabita Abelem juſtum occidebat; nec minus Iſhmael memoria eſt removendus, qui ſobolis legitimæ inſectator fuit Lethalis: Apoſtolus teſtatur, qui ex Carne natus eſt, ex ſpiritu natum perſecutus eſt, ita & nunc eſt; Nuſquam vero legimus quemquam ſecundum Spiritum natum alios perſecutum eſſe: Chriſti Conſilium fuit: Inimicos diligite; mutuum amorem colite: Hinc innoteſcet vos eſſe Diſcipulos meos; qui enim Chriſtianitatem profitentur, debent præcepta Chriſti obſervare: Nebuchadonozor, Præconem clamare juſſit, ut ſi quis imaginem

imaginem a se erectam incurvatus non colat, in fornacem igne ardentem conjicitor: Deus vero frustrato hominis proposito Populum suum incolumem servavit: Dominus deinde & palam fecit Altissimum in regnis hominum regnare. Nullus dehinc præco inter Christianos sub pœna concremationis, suspendii, incarcerationis, bonorum abripiendorum proclamet recusantibus sese incurvare, aut abnegantibus Ideam Religionis a sua alienam adorare: Hæc enim non potest esse Religio vera, quia Christus nihil tale usquam præcepit, qui Discipulos ad Evangelizandum omnibus Gentibus emisit, sed non sub pœna Concremationis, suspendii, Patibuli, incarcerationis, aut bonorum abripiendorum eis denunciata, qui id aut ipsos recipere respuebant. Pulvis vero Pedum eorum die novissimo firmum ad id evincendum Testimonium esse voluit.

Pharaoh cum exercitu suo ingenti Persecutor, liberorumque Enecator Crudelis fuit, quem vero finem ille cum exercitu habuerit, palam est; Annon in mare divinitus immisso sui Populi suspiriis a Jehovah auditis, peribat?

Nec minus atrox Domini cultorum Persecutor fuit Herodes, qui infantulos necandos curavit, nec defuit voluntas Christum ipsum mortis supplicio afficiendi; Deus vero ipsum ex ipsius manu eruit: Tempus nunc postulat ut sepulta Religionis causa Persecutione, utpote Dei voluntate contraria Apostolo dictanti auscultemus, qui ad hunc modum loquitur: Qui fratrem odio prosequitur, homicida est, nec habet vitam æternam in se manentem, qui vero in Charitate habitat in Deo habitat, nam Deus Charitas est. Davidi olim Templum externum ædificare nefas fuit, quod sanguinem in bellis externis sub veteri fœdere effudisset: Quomodo ergo vos spiritus pacifici ductum ignorantes, quorum opera tot cædes personarum, violationes bonorum Religionis causa, direptiones perpetratæ fuere, Templum spirituale sub novo fœdere condere potestis? Zion sub veteri pacto sanguinis dispendio non erat construenda; an igitur verisimile est, Hierosolimam Cœlestem sub novo fœdere a Christianis, ita dictis sanguinis effusione, Persecutione, Carceratione, bonorum abreptionibus ædificatum iri, quum Christus ipse palam eis testatus est, qui ignem de Cœlo ad homines necandos advocabant: Nescitis inquit quem Spiritum sapiatis. Quo pacto igitur dignoscere potestis quem spiritum vos sapiatis, qui occiditis, ad necem in carceribus,

carceribus, bonis abripiendis, idque de rebus fidei, Eccleſiæ & Cultus religioſi infectati eſſis atrociter?

Quam igitur periculoſum eſt illis, vel corporum nedum animarum curam contredere, qui quem ſpiritum ſapiant, ignorant. Jeſus Chriſtus turbam ſæpiſſime allocutus eſt, qui aures habet ad audiendum, audiat; neminem vero auditu Orbatum, nec illos qui aures obdurabant, ne audiant, nec Oculos præcludentes, ne videant & convertantur, perſecutus eſt; nec ullum a Cultu ſuo religioſo, aut Religione abhorrentem, in Carcerem detruſit; aut quod cultui ab ipſo inſtituto minime conformes eſſent, bona abripienda præcepit: Sæpius vero dixit, qui aurem habet, audiat, & ita auribus ipſos commendabat: Johannes in Apocalypſi ſeptem Eccleſiis dicit, qui aurem habet, audiat quid Spiritus dicat Eccleſiis, non vero dicit, qui aurem non habet, ad audiendum, quid Spiritus dicat Eccleſiis, aut conformis eſſe reſpuerit; in Carcerem conjicitor, bona iſtiuſmodi hominis abripiantur, vel in exilium mittatur; neque enim Chriſtus, neque ab illo Apoſtoli, nihil tale uſpiam præceperunt: Chriſti mandatum ſic ſe habet: Voſmet mutuo amore proſequimini: inimicos diligite, qui enim in amore habitat in Deo habitat, & qui fratrem odit eſt homicida, nullus vero homicida vitam habet æternam in ſe manentem: Johannes itidem in Apocalypſi dicit Beſtiam fuiſſe Draconis potentia munitam, qui omnes a minimis ad maximos ad ſe imaginemque ſuam colendum adegiſſe: Annon ibidem legere licet Beſtiam, Draconem, eorumque Aſſeclas & Cultores in Lacum flagrantem deturbatos fuiſſe? Annon igitur magni intereſt Chriſtianorum ut Apoſtolorum armis ſpiritualibus, ſibi aſſumptis, quibus ſolummodo fides, Eccleſia & Cultus Divinus propagatur, & reſipiſcant, & ad frugem meliorem ſeſe recipiant?

FINIS.

Errata inter legendum corrigenda.

PAg. 3. lin. 8. lege fiatis. P. 4. l. 13. lege retegit. P. 4. l. 9. lege navaſſent. P. 6. l. 5. lege Chriſto. P. 6. l. 12. lege Luna pedibus Suppoſita. P. 7. dele Poſtſcriptum officioſe a Typographo interpoſitum. P. 8. l. penult. lege & pro eſt. P. 13. l. 26. lege cultuum pro cultum. P. 16. l. 7. lege obturabant. P. 16. l. ult. dele &.